

D. O. D.
DISSERTATIO HISTORICA
DE
ORIGINE
FENNORUM,
CUJUS PARTEM POSTERIOREM,
Suffrag. Ampliss. Fac. Phil. in Reg. ad Auram Academia,
Sub PRÆSIDIO
M^{AG.} JOHANNIS
BILMARK,
HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.
PRO GRADU
Publicæ disquisitioni subjicit
ALUMNUS REGIUS,
FRIDERICUS COLLIN,
SATACUNDENSIS.

In Audit. Maj. D. XXVI. Mart. Anni MDCCLXVI.
Horis Ante Meridiem Consuetis.

ABOÆ impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Nobilissimo ac Generosissimo DOMINO,
D:NO C A R O L O
LAGERBORG,
Supremi in Finlandia Dicasterii Regii CONSILIA-
RIO Gravissimo.

MÆCENATI PROPENSISSIMO.

Inter cetera bona, quæ providæ SUMMI NUMINIS curæ accepta refero, haud ultimo loco est ponendum, quod mihi contigerit, in Domum TUAM Nobilissimam, Filios Tuos magnæ spei informandi gratia, recipi. Ex illo enim tempore tot tantaque favoris TUI indies expertus sum documenta, quot quantaque a MÆCENATE PROPENSISSIMO unquam proficiisci queant. Pro his autem beneficiis, quid TIBI, MÆCENAS OPTIME, referam, quid rependam? Nihil habeo, quod virtutum ac meritorum TUORUM fastigio, quod boni omnes suspiciunt, conveniat. Attamen cum ab antiquissimis inde temporibus invaluerit consuetudo, ut mola falsa litent, qui thura non habent, in pignus devoti animi atque veneracionis nunquam intermorituræ, lucubrations hasce Historicas TIBI cernuus offero, quas ut benignitate, quæ TIBI propria est, excipias, calamo pariter atque animo obsecro. Quod his desit, deesse autem plurima fatis animadverto, votis compenfare annitar. Vivas itaque NOBILISSIME DOMINE CONSILIARIE sospes atque incolumis in longissimam annorum seriem, votis etiam Tuis felicior. Sic nec Patria gravissimum Legum interpretem, nec Familia Nobilissima exoptatissimum fulcrum, nec clientes, quotquot Tui sumus, præsidium firmissimum desiderabunt. Sic vovet & perpetuo vovebit

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

Cliens *devotissimus*
FRIDERICUS COLLIN,

SÆ RÆ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Nobilissimo atque Consultissimo DOMINO,

D_N:O **M I C H A Æ L I**
L I L I O,

CONSILIARIO Supremi Judicij per Magnum Duca-
tum Finlandiæ accuratissimo.

MÆCENATI BENIGNISSIMO.

Sicut celata virtus, teste Poëta, paullum distat ab iner-
tia, ita gratiæ, quæ habentur tantum, ad ingratî animi
crimen proxime accedunt. Quod cum maxime exhorre-
scam, hanc prætermittere occasionem nec potui nec debui
publice testandi, quantum TIBI, PATRONE BENIGNISSIME, de-
beam ob maxima beneficia, quibus me TIBI obstrinxisti ab
illo tempore, quo Filium TUUM optimæ indolis, mihi insti-
tuendum tradidisti. Unum doleo, quod nullo officiorum
genere eximium TUUM favorem provocare potuerim. Ne
tamen eodem excidam, quod forte fiet, si ut in immeritum,
ita in ingratum, TE beneficia collocasse putes, in symbolum
gratissimæ mentis tenues has pagellas, quas TIBI offero, be-
nigne excipias. Mihi vicissim nihil prius, nihil antiquius e-
rit, quam Summum Numen supplicibus venerari precibus,
velit TE, MÆCENAS OPTIME, omnigena felicitate maestatum
quam diutissime conservare in Patriæ commodum, Familiaæ
Nobilissimæ solatum atque Clientum gaudium.

Permansurus ad urnam usque

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

Cliens humilissimus
FRIDERICUS COLLIN,

VIRO Amplissimo
**D: NO LAURENTIO M.
NORDSTEDT,**
SECRETARIO Dicasterii Regii Aboënsis.

FUTORI BENIGNISSIMO.

Tot tantaque sunt TUA, *Amplissime DOMINE*, in paternam domum beneficia, ut inter doloris atque curarum moles, quæ me hoc præsertim tempore agitarunt, hanc lætus arripiam occasionem, gratum animum TIBI declarandi. Hujus argumentum erit præsens dissertatio, NOMINI TUO *Amplissimo* consecrata, quam ut benigne adspicias, enixe oro atque contendeo. Meum præterea erit, vota pro intemerata TUA salute ad summum rerum omnium Moderatorem fundere calidissima, permanfurus dum vixero

Amplissimi NOMINIS TUI

Cultor observantissimus
FRIDERICUS COLLIN,



בָּרוּךְ הוּא יְהוָה

§. IX.

Comitati fuimus Israëlitæ, Fennorum nostrorum majores & generis Auctores, ad Septemtrionales, in quibus confederunt, oras, sed quoniam de hac illorum origine dubium forte alicui suboriri adhuc posset, igitur ea in medium nunc proferemus argumenta, quæ sententiam nostram speciatim confirmant. Verum quidem est, quod ex aliquali verborum querundam convenientia, quæ in linguis duarum gentium conspicitur, oppido colligere non liceat, quod una ab altera suos repeatat natales, siquidem cum alia tum imprimis commercia efficere soleant, ut vocabula nonnulla diversis gentibus fiant communia, quæ tamen non admodum multa sunt. At si plurimæ voces unius linguæ, & quoad sonum & quoad significatum cum aliis gentis vocibus apprime consentiant, quamvis non constet, has gentes communia olim exercuisse commercia, & si alia in-

D

super

super momenta, ex genio utriusque linguae petita, haud obscuram convenientiam arguant, magna profecto cum veri specie colligimus, alterius populi originem ab altero esse arcessendam. Scilicet ut ingenuus quisque civis patriam prolixo amplectitur amore, ita sermonem, quem cum parentibus, propinquis & amicis communem habet, non facile immutat; quo in negotio quosdam eo usque processisse docet Historia, ut veniam exposcerent, si quando verbo uterentur peregrino (*a*). Ideoque lingua & labium haud contemnendum originis gentium præbent argumentum. Exempli loco adduxisse sufficiat illam Græcorum coloniam, quam ad interiora Asiae deportandam curavit Persarum Rex, XERXES, quippe illorum nepotes ex lingua, aliquantum licet mutata, mox cognoverunt Macedones, qui Duce ALEXANDRO M. in has penetraverant terras (*b*). Quare acutissimus BOXHORNIUS adfermat, studium etymologicum, deficientibus annalibus, unicam viam esse ad veritatis investigationem, quo argumento & TACITUS Gallos Britannosque ejusdem esse originis statuit, nempe quod eadem uterentur lingua (*c*). Quum itaque Fenni nostri magno in natale solum amore & flagrante & semper flagraverint, quum etiam linguae suæ maximum, idque jure meritoque optimo (*d*) statuant pretium, immo plerique a commerciis cum aliis gentibus diu fuerint remoti; haud erit mirandum, quod per plurima saecula Majorum linguam ita conservaverint, ut & hujus & generis ortus manifesta super sint

sint vestigia. Enimvero antequam linguae Fennicæ cum Hebraica convenientiam ostendimus, regulas quasdam generales præmittemus. Necesse igitur 1:mo est, ut vocum non paucarum, sed plurimarum significationes propriæ exacte inter se convenient, in quibus litteræ radicales inter se sunt eædem. Quo circa tamen adhuc observant Philologi, quod litteræ ejusdem organi facile inter se permittentur; quam regulam in omnibus linguis, præser-tim in orientalibus, valere notum est. 2:do Tenendum est, quod vocalium non admodum magna habenda sit ratio, quæ non solum infinitis modis variare, sed ipsam quoque vocis notionem nonnihil interdum mutare possunt, sed quod consonantes, ut stamina vocum, hic imprimis in censum veniant (e).

(a) Vid. SVETON. in *Tiber.* Cap. LXXI. (b) Confr. CURTII Hist. Lib. VII. Cap. V. (c) Vid. Ejusd. Origin. Gall. Libr. VI. C. I. nec non SHERINGHAM in Prefat. ad Orig. Angl. (d) Vid. JUSLENII Prefat. ad *Lexicon Fennicum.* (e) Regulas, quarum mentionem fecimus, in Scriptis suis passim adferunt Philologi.

§. X.

En igitur specilegium quoddam vocum Fennicarum, quæ cum lingua Hebraica proximam habent convenientiam. Collegimus illud ex aliis aliisque Auctoris (a), qui vel utramque linguam optime calluerunt, vel ab aliis sciscitati sunt, quæ ad præ-sens pertinent negotium, quibus nos pauca tantum

adjecimus, plura addituri, nisi veriti fuissemus, ne nimia copia fastidium potius, quam delectationem pareret.

אִישׁ Hebr. Vir, Isä Penn. Pater.

אָבִי Pater, in const. אָבִי, Appi Socer.

אַחֲחָה Aha ah! vox exclam.

אַנְחָה Anoa & Anon obsecro.

עַרְקָה fugit, Arca pavidus.

עַשְׂתָה fecit, Use instrumentum.

אוֹרָה lux, Sol, Auringo sol.

אֵי Si non.

אֶמְאָה & **אֶנְמָה** mater & vetula.

אַנְגָּלָה non, En non ego.

אוֹתָהָהָה Alawet signum, portentum.

אָבוֹהָה Woi va.

אַתָּה focus, Uhto focus fabrilis.

תְּהַלְתָה & **תְּהַלָּה** exscreatio, Walki jusjurandum.

חַלְתָה partitus est, Halli fistum.

חַמְתָה vim intulit, Hammias dens, Hammastau mordicus impeto.

חַפְתָה Hiph. punire fecit, Hawittå perdere.

חַלְלָה insanivit, Hullu infanus.

חַלְלוֹתָה Hulluus stultitia. הַזְלָלָה idem.

חַטְוֹןָה strepitus, Humina sonus venti.

וְלַעַתָּה ivit, Galea pes.

כְּלָיָה utensile, Calu res, supellex.

- כָּלֹת terere, Calutan rodor.
 קְמַט corrugare, Cammotta caveri.
 קְפָא condensare, Capia arctus.
 חֶרְשׁ fabricatus est, Carassen induro ferrum
 חִזֵּחַ vidit, Cahon video.
 חַזֵּי dimidium, Caxi duo.
 גָּלֵל volvit, Kelaan conglomero funem:
 קְרַבָּא clamavit, oravit, Kerbatu mendicare.
 כָּלָא in Piel prohibnit, Keldau negare.
 קָהָל in Piel convenit, Kihlata despondere.
 חִיל strenuitas, Kitti egregius.
 חָרֵב gladius & quodvis instrumentum consumptio-
 nis, Kirives securis.
 חָכוֹת exspectare, Cocotan exspecto.
 חָרֵב arescere, Corvetan ustulor.
 כָּלָה in Pyal teri, Culun atteror.
 כְּנָס sic, Quin sicut.
 כְּמָר contraxit, Cumarran flecto me.
 קְבָת cavum ventris, Cupu ingluvies avium.
 חָמָט calidus fuit, Cuuma fervidus.
 כָּלָה totum ejus, Kyllu satis.
 אַרְמָח Maa terra.
 מְרָה Mitta mensura.
 מְעַט in Piel exiguum est, Miclo tenuis.
 מְזִח Mittu a quo sc. loco.
 נְעַרְתָּה puella, Naura puella prostratæ pudicitiae.

- נְכָח pereussit, Nacula abjicere.
 נְעֵם amoenus fuit, Namu cupidiae.
 נְוֹח quiescere, Nuckua dormire.
 פְּלָה separavit, Pala frustum.
 פְּקֻור mandare, Pacotaa cogere.
 בֶּן filius, Penicka catulus.
 פַּתַּח improvidus Petettâ seduci, falli.
 פְּלָאוֹת occultare, Pilata illudere.
 בְּנָה in Piel exstruere, Pinota struem conficere.
 בְּוֹחַ locutus est, Puhua loqui.
 רְבָא accubuit, Ratvshen saturo.
 רְגֹזָח commotio, Ruzz commotus fuit, Rakas/
 Rakasta dilectus, diligere.
 רְכָב currus, Reki traha.
 רִיק inane, Ricka minimum quid.
 רְנָה cantus, Runo carmen.
 חַ Se ille.
 צְמָה sitis, Siemen haustus, potus.
 רְגַז frumentum, Taisina massa.
 דְּרַת scire, Taito/ Tjetâ scire.
 רְכָא contundere, Takoa tundere.
 תְּלֵל accumulavit, Tallitan concutior.
 חְחֵי inane, Tvhja inanis.
 אֲרָח via testa, Ura via nive testa.
 בְּעֵל dominatus est, Walda/ Wallita potentia.
 טְמָא inquinatus fuit, Tahmia lentore inquirare.
 יְעֵה ejecit, Ajah urgeo, pello.

קְרֵוָאַת lectio, Kirja liber.

שְׁבִיָּה Hiph. pudefacere, Håtwåssen pudore suffundo.

שְׁרֵר bellum gerere, Sodin bellum gero.

שְׁלֵל spolium, Saalis præda.

(a) Vid. *Orat. Rev. Episcopi JUSLENII de convenientia lingua Fennica cum Hebraica & Graeca in Biblioth. Svecan. NETTELBLADII Tom. I. p. m. 160.* ubi addit: *Plura quarenti sexcenta occurunt, prater quæ sono vel significatione aliquantum sunt remotiora, certa tamen affinitatis innumera.* ERIC. CAJANI *Dissertat. de linguarum Hebraicæ & Fennica convenientia p. 3.* OL. RUDBECKII *Atlantic. Illustrat. p. m. 68. & seq.* In prismis autem a nobis jam est nominatus Admoicum Rever. auctus Praet. Wirmoënsis Ecclesie Prepositus LITZELIUS, qui ut Linguis Hebream & Fennicam probe caluit, ita præcipuum bujus speciei partem Ejus benevolentia debemus.

§. XI.

Præter hanc autem linguarum Hebraicæ & Fennicæ convenientiam quoad litteras, quam cum Guillermo VOTTONO (a) *Materialem appellare licet,* datur adhuc alia, quæ ut vocum constructionem & fluxum per declinationes & conjugationes respicit, ita genium utriusque linguae manifeste prodit, quam cum nominato Auctore *Fornalem dicimus.* Ut enim autem in præsenti negotio eisdem Dñcibus, qui in §. antecedente facem nobis prætulerunt lusculentissimam. Compositiones igitur utriusque linguae sunt rarissimæ, adeo ut Fennica quoque, si quæ compositorum naturam induentia occurrant nomina, ea vel statum Regiminis Hebreum referant, vel divisa æque commode enuncientur. In verbis autem

autem Præpositiones adjunctæ, & unam cum illis
vocem constituere visæ, etiam ornate separantur.
Ulterius est notandum, quod æqualis in utraque
lingua sit Pronominum & affixorum conditio, cum
dentur & separabilia & inseparabilia Pronomina.
Ita tamen in Pronominibus obtinet diversitas, quod
Fenni eadem affixa apponant nominibus pluralis
formæ, quæ in singulari usitata sunt, quod tamen
aliter fit apud Hebræos. Verborum autem non ap-
ponuntur omnibus temporibus & modis, verum in-
finitivis saltem. Deinde silentio haud erit præter-
eundum, affixum primæ personæ singularis Hebræis
esse nominum & נִי verborum; Fennos vero u-
trobique ni adhibere. Exemplo res fiet clarior.
רְכָרְךָ, Fennis Sana, Lat. *verbum*, רְכָרִים, Sanat/
verba, addito affixo primæ personæ singulari illud
Hebraice fit רְכָרִי, *verbum meum*, hoc autem דְּבָרֵי,
verba mea, utrumque Fennice dicitur, Sanani. Ast
cum affixo plurali רְכָרְנוּ, *verbum nostrum* &
cum intercedente וְ, *verba nostra*, Fenni efferunt
Sanaamme / Sanojamme. Id quoque in lingua
Fennica egregium est, quod significatio conjugationum
eum Hebræis omnino quadret. Quamvis
enim adseri non possit, quod omnes quatuor con-
jugationes Hebræorum apud Fennos nostros quoti-
diano usu valeant; in tribus tamen prioribus ver-
bum Fennicum flecti potest eadem significatione
cum verbo Hebræo. Sic quæ in prima flectuntur,
actionem denotant transeuntem in rem objectam
veluti חַשְׁעָה, Fen. *Zeki fegit.* Secunda conjugatio
ordi-

ordinarie est intensiva, seu frequentativa נִשְׁׁעָנָה, fa-
cilitavit, Fenn. Teeskeli. Hiphil seu conjugatio ter-
tia exhibet sensum transferendi actionem, seu ad
eam impellendi נִשְׁׁעַנְתִּי fecit facere, Fenn. Teetti.
Verbis etiam Pronomina in utraque lingua suffici-
solent. Sic ex gr. ab אֲכַלְתִּי est אֲכַלְוִי edere me, quod
Fennice vertitur & quidem verbotenus, Shôdesâni.
אֲכַלְגֶּל, quod in cap. 2. Gen. occurrit edere te, Fen-
nlice Shôdesâs / אֲכַלְוֵה edere eum Fenn. Shôdesâns,
in quibus similis positus affixorum, sensusque est i-
dem (b). Quæ his adhuc possent addi, aliis, qui u-
triusque linguae me magis periti sunt, enucleanda
relinquo: & tantum observo, quod nonnulli con-
venientiam linguarum Hebraicæ & Fennicæ vindi-
catur, concentum Poëeos utriusque gentis in ro-
bur sententiæ suæ adferant. Verum cum nondum
sit evictum, qualis veterum Hebræorum Poësis fue-
rit, multis cum SCALIGERO (c) & MORHOFIO
statuentibus, Judæos hodiernos suos versus ἐμοντά-
τες & ὀμοντατετες, a Christianis primum ante septem
fere sæcula didicisse, nullum certum adest exemplar,
ex quo, qualis convenientia Rhythmorum olim fue-
rit, colligi possit.

(a) Vid. *Dissert. Philolog.* ad Chamberlaine p. m. 45. (b)
Confr. imprimis Rev. Ep. JUSLENII *Orat.* cit. nec non CA-
JANI *Dissert.* (c) In *animadu.* ad Eusebium p. 7. (d) De
lingua & Poësi Germanor. p. 591.

§. XII.

Quamvis convenientia & materialis & forma-
lis

lis, eademque satis insignis, inter linguas Hebræam & Fennicam intercedat, ceu modo ostendimus, erunt tamen forte nonnulli, qui mirabuntur, majorem inter utramque non dari concentum. Verum haud ægre hoc ferent, quotquot considerent, idem Fennis nostris contigisse, quod ceteris populis, etiam qui puritatem linguarum suarum conservare studuerunt. Cujus rei rationem non difficulter adsequimur. Scilicet verba, quæ ore proferimus, tenues in auras mox evanescunt: hos motus sistere, ipsa verba mox evanida colligere, collectisque quandam impertire consistentiam, opus videbatur, humanam industriam longe superans. Attamen has difficultates ingenium mortalium sensim vicit, certas introducendo figuræ, quæ ex instituto repræsentarent articulatos sonos, quos pro re nata homines ederent. Sic Scriptura invaluit, per quam absentia redduntur præsentia, quantavis immensa locorum intercapedine remota, præterita quoque ipsa & per plurimum sæculorum decursum fere obsoleta ope scripturæ ita reviviscunt, ut verba ex Majorum Iabiis velut legere queamus. Cum vero primi terrarum nostrarum incolæ hoc adminiculo vel destuerentur penitus, vel adeo incommodo uterentur, ut multa litteris mandare non potuerint, quis, quæso, miretur, quod lingua nostra, quamvis illam conservare fategerint Majores, varias subierit vicissitudines, hominibus quibusdam pro arbitrio novas formantibus voces, aut antiquas gratori quodam, ut illis videbatur, soni syrmate quasi vestientibus? Postquam

quam rursus litterarum usus magis magisque inva-
luit, simul quoque increverunt commercia, cum
quibus peregrina etiam verba sensim irreperunt,
& sicut res multæ factæ sunt necessariæ, ita quo-
que ex eadem necessitate in civitatem nostram ad-
scita fuerunt diversa vocabula illas exprimentia.
Hinc cum Nob. BRENNERUS egregiam quandam
seriem vocum Fennicarum nobis exhibet, quæ cum
Gothicis & quoad litteras & quoad significatum pul-
chre convenient (*a*), nos facile credimus, id quod
indoles vocum prodere videtur, & Fennos quasdam
ex Gothis mutuo sumsisse, & hos etiam nonnullas
ex nostra lingua in suam transtulisse. Ex quibus
omnibus conficitur, quod sine præceptis Gramma-
ticalibus, quæ modum recte scribendi & loquendi
continent, nullius linguae puritas sarta semper tecta-
que conservari queat; adeoque cum talibus destitu-
ti fuerint Majores nostri, quippe quod opus ante
sæculum incepturn, sed nondum ad umbilicum est
deductum (*b*); lingua Fennica e primigenia Hebraï-
ca nonnihil deflexit. Allatis hilce binas adhuc ra-
tiones addimus; partim quod post emigrationem a
prima stirpe ita fuerint quasi avulsi Fenni, ut cum
progenitoribus suis nullum amplius vitæ consortium
habuerint, partim quod postquam in borealibus o-
ris sedes suas fixerunt, admodum rara constituerint
domicilia; quare fieri non potuit, quin a prima lin-
gua sensim descitum fuerit. Quantum ejusmodi se-
paratio gentium, licet non admodum magna sit,
ad mutationem linguarum conferre possit, vel ex-

templo populorum, littora nostra incolentium, evidensissime constat, quippe quos nativo idiomate loquentes pauci omnino nostrum plene possunt intelligere.

(a) Vid. *Litteras Ejus in Dissertat. HALLENII de Boreis Fennia p. m. 40.* (b) Vid. *Lettre d'ARCKENHOLTZ aux Auteurs du Journal Encyclopédique p. m. 8. not. *)*

§. XIII.

Hactenus ex convenientia linguae Fennicae cum Hebraica originem Majorum nostrorum indagare & ostendere conati fuimus. Verum cum in re adeo ambigua non unicum sufficiat argumentum, ut sententia quædam ad probabilitatis culmen adscendat, sed necesse sit, ut pluribus ipsa quasi muniatur rationibus; igitur eas nunc adferemus, quæ ad rhombum præcipue faciunt. Et quoniam Majores nostri pro se ipsis verba facere non possunt, eorum vicem subeant consuetudines, in quibus ut natura illorum spirare videtur, ita ex eisdem optime dignosci possunt. Tanta enim illarum vis atque efficacia deprehenditur, ut instar elateris sese habeant, qui licet prematur & intra certum gyrum valide redigatur, dato tamen laxamento, mox in pristinam figuram se restituit. Pari ratione quamvis avitæ consuetudines aliis aliisque modis cohibeantur, ubi tamen occasio datur, vim suam exserunt. Quocirca adhuc notandum, quod nullæ consuetudines mentibus tenacius inharetant, quam quæ religionis, ut cunque pravæ, speciem habeant; quod nisi ita esset, nunquam antiquatæ pridem superstitiones toties capi-

capita exsererent, quoties hoc fieri observamus. Verum hæc generaliter dicta sufficient nobis ad specialia properantibus. Notum igitur est, quod cum Deus O. M. hominibus præcepisset, ut septimum quemvis diem sanctificarent, populus Israëliticus, jubente Numine, die Saturni cultui Divino in primis vacavet, immo quod cardinem salutis suæ in externa hujus diei sanctificatione præcipue verti sibi saepe persuaserint. Hinc malis confecti Deumque placenti, ad jugem hujus diei observantium inter alia se obstrinxerunt. Similiter Fennos nostros die Saturni Sabbathum olim celebrasse tam aliunde, quam ex prolixa valde eademque gravissima Epistola, quam Rex noster gl. mem. GUSTAVUS I. illis misit, adfatum constat. Scilicet circa medium fere sæculi XVI fame, morbis, aliisque calamitatibus ita premebantur Majores nostri, ut ad incitas ferme redacti fuerint. Serias quidem ad Summum Numen fudent preces, & mitigationem pœnarum supplices imploraverant, verum cum benigniam ejus opem solito diutius desiderassent, ad superstitiones sunt prolapsi, & sicut ægroti, ut desperatum morbum depellant, illicita nonnunquam tentant remedia, ita vulneribus fauci majorum animi illam conceperunt opinionem, quod tanta mala paterentur, quia Sabbathum illa die, quam observant Judæi, non celebrarent, cultumque ita cærimoniale, saltem quo ad Sabbathum, postliminio introduxerunt. Hunc errorem in litteris modo memoratis, datis Arosiæ d. 7 Decembr. An. 1554, castigavit Rex noster, quan-

tumque hallucinati sint, pluribus rationibus egregie ostendit (a). Verum ne quis forte credat, Majores tempore modo memorato indicia originis suæ primum prodidisse, audiamus CELSUM, Sæculi III. Scriptorem, qui hæc habet: *Geta gentes sapientissimæ & antiquissimæ sunt, tractantes cognata Judæorum opinionibus* (b). Quis vero non videt, quod hic dictum in Fennos nostros quasi intendat, dicatque quod ritus Judæorum non dignati fuerint (c). Quod mirum forte ipsi visum, quia originem Majorum nostrorum sibi satis perspectam non habuit.

(a) Vid. *Integralm Epistolam in CELSII Monument. Pollio - Ecclesiast. p. m. 20. & seq.* (b) Confer. CELSUM apud *Originem Lib. I. p. 14.* (c) Vid. Epist. ARCKENHOLTZII sit. p. 51. Fennos Svecorum seu Gothorum nomine olim fuisse comprehensos, docet JUSLENIUS in *Vinacis Fennorum p. m. 40.*

§. XIV.

Sicut temporis spatium, quo sol orbitam suam describere videtur, *annus* ab annulo dicitur, in circulo autem quodlibet punctum, ut peripheriæ initium adsumi potest; ita quoque docet Historia, quod diversæ gentes diversa annorum exordia constituerint. Quod ad initium anni Hebræorum, ut alia reticeamus, attinet, de eo inter omnes non convenit; nonnullis exordium ejus circa æquinoctium vernum, aliis circa autumnale statuentibus. Enimvero si, ut par est, auctoritate Scripturæ S. & consentientibus antiquorum testimoniis standum sit, nemo sobrius dubi-

dubitat, quin initium anni Judæorum in æquinoctio vernali fuerit constitutum, ibique a Moze repositum, postquam Israëlitæ ex Ægypto essent egressi, ut memoria felicis hujus eventus etiam hæ ratione conservaretur. Quæ quidem opinio exinde quoque confirmator, quod numerus mensium in Scriptura ab **אַבְרָהָם** incipiat, qui nostro Martio fere respondet. Similiter docet Historia, quod Majores nostri annum incepérint non a solsticio brumali, seu, quod idem fere est, a Januario, ut ceteris populis Septentrionalibus fuit solemne, sed a Martio (a), qui mensis propterea a nostratis dicitur Maaliscu[m] / id est termini vel metæ mensis, ideo quod tunc vetus desinat & novus simul incipiat annus.

(a) Vid. RUDBECKII *Atlant. Illustrat.* p. m. 74.

§. XV.

Quum Deus populum Israëliticum in peculium sibi delegerat, voluit etiam ut puram mentem & mundum corpus conservaret. Hinc quoties Israëlitæ vel cadavera tetigerant, vel quacunque alia ratione, etiam præter spem & opinionem, se contaminaverant, impuri judicabantur, & tales per totum diem habebantur. Vesperascente autem cælo se totos prius abluebant, quam in aliorum consortium admittebantur. Quam frequentia nostrarum terrarum incolis sint balnea atque lavacra, neminem nostrum fugit. Quid? Quod bene secum agi credant rustici nostri, si bis vel ter per septimanam, immo

immo quotidie corpora in balneis lavare queant, hæc lavacra laborum difficillimorum levamenta judicantes. Quo vitæ genere admodum discrepant a ceteris per Septemtrionem populis, qui ejusmodi ablutiones parcissime adhibent. Ulterius notum est, quod inter morbos lepra valde affixerit Israëlitas, ita ut nonnulli Scriptores, quibus Sacra oracula vel fôrcent, vel eadem auctoritati Historieorum paganorum postponunt, adserere non dubitent, populum Israëliticum, propter hunc morbum ingravescensem ex Ægypto olim fuisse expulsum. Quam vero opinionem nos, meliora edocti, merito explodimus, & quamvis quidam Israëlitarum hoc morbo laboraverint, non tamen tantus eorum fuit numerus, quantum Græci configunt scriptores (a). Quis enim probavit

- - - *Quidquid Græcia mendax
Audet in Historia?*

Interim tamen verum est, quod hunc morbum non ignoraverint Majores nostri. Quam ob caussam Rex noster gl. mem. GUSTAVUS ADOLPHUS peculiari edicto Holmiæ d. 15 Julii An. 1619. præcepit, ut Nosocomium pro leprosis in Finlandia extrueretur (b). Neminem mihi vitio versurum spero, quod isthæc adferam, siquidem nec ignota, nec subdole conficta tradam. Præterea hinc nobis suppeditatur occasio Deum celebrandi, quod morbus hic, qualis demumcunque fuerit, adeo in his oris prideam desierit, ut vix quoad nomen nobis amplius sit notus.

(a) Vid.

(a) Vid. CHÆREMON citat. a MARANA in libro E-
spion dans les Cours des Princes Chrétiens Tom. IV. Lettr. LXXXIII.
p. 340. (b) Vid. RUDBECKII atlant. Illusfr. p. 74.

§. XVI.

In antecedentibus obiter indicavimus, quod ve-
stigia circumcisionis a Majoribus nostris receptæ jam
occurrant nulla, quæ Divina institutio per difficulta-
tem transmigrationis in Boreales oras, aliisque de
cauissimis oblivioni tradita videtur. Idem valet de agno
Paschali, nisi quod ritus, qui in illo celebrando, quon-
dam fuit observatus, apud nostrates etiamnum vi-
geat, *panes intelligo azymos*. Sed erit res paullo al-
tius repetenda. Cum itaque Deus decrevisset, popu-
lum suum ex Ægypto in Terram Canaan educere,
inter alia ipsi injunxit, ut in Festo Paschatos pani-
bus, nullo fermento infectis, per integrum septiduum
vesceretur. Primum quidem azymos panes require-
bat angustia temporis & festinata necessitas abeundi;
sed Deus necessitatem in mysterium postea convertit.
Immo sub maledictionis poena Israëlitis interdictum
fuit, alium panem, quam azymum, tunc comedere,
ita ut, qui hoc præceptum violaret, e medio tollere-
tur. *Cette malediction, inquit quidam ex recentiori-
bus, s'étendoit seulement à la personne qui mangeoit quel-
que chose, où il y avoit du levain & non à celle, qui
gardoit du levain dans sa maison, ce dernier peché de-
vant seulement être puni d'un certain nombre de coups
(a).* Ceterum cum summa festinatione urgerentur I-
sraëlitæ, farinam aqua subactam linteolis aliisque fa-
sciis includebant, sicut Sacer Vates disertis testatur
verbis *Exod. XII. 34:* Apud Fennos nostros similem ri-

tum ab antiquissimis inde temporibus invaluisse observamus. Scilicet septimanæ magnæ, Syeth. **Dyma** helwecka / die Jovis ab his **Skjär** = **Thorsdag** dicto, ex farina pisanæ paratur species panis, cuius massa cum satis firmam non habeant consistentiam, sed crassiorrem referat pultem, includitur variis arculis ex cortice betulino confectis & deinde leviter pinsitur. Est hoc panis genitus non tantum azynum, verum etiam admodum dulcis fæporis, cuius comedio incipit a **Paschate** ~~ravensdau~~ Syeth. **Långfredag** dicto, & per in sequentes septem dies continuatur; per reliquum anni tempus pane fermentato utuntur nostri. Circa ejus usum adhibent Fenni non cultros, sed communiter fragmenta perticarum, quod signum certe est hominum valde festinantium. Dicitur denique hic panis a nostratis **Måmmi** / quod vocabulum Hebraicam originem manifesto sapit, & a **✓ pane illo cœlesti**, ad idiotismum nostræ linguæ efformatum videtur. Cum itaque festum Azymorum Hebræorum & ritus Fen norum circa usum **Måmmi** pluribus modis inter se convenient, ceu ex modo allatis adfatum constat, quin hic sit illius reliquiæ, nemo dubitare potest.

(*) Vid. *L' Histoire Universelle &c.* Tom. II. p. m. 393.

§. XVII.

Quæcunque adeamus terras, nullam fere deprehendimus gentem, quæ non certis anni eujuslibet diebus vireta ex campis in urbes atque vicos revocavit, arboresque frondosæ juxta parietes adiūcū constituit, simulque varia celebravit hilaria. Ab Israëlitis duplicis generis festa, huc pertinentia, quondam fuis-

fuisse observata reperimus. Taceo jam, quod Hierosolymam quotannis confluentes in erectis frondosis tabernaculis ocliduum scil. a XV die usque ad XXII mensis Tisri, qui fere est noster September, manere debebant in memoriam tabernaculorum conservandam, quibus relicta Ægypto usi erant Majores eorum per quadraginta annos in deserto vagabundi. Ad institutum nostrum proprius spectat, quod tempore vernali celebraverint festos dies tam floribus, quam frondibus decoros. Scilicet cum quinquaginta dies ab egressu ex Ægypto usque ad sanctionem Mosaicæ legis in monte Horebo hoc die factam numerarent, hujus rei tam notabilis memoriam revocaturi varia oblationum genera quinquagesimo die a Paschate quotannis instituerunt. Exinde mos quidam invaluit inter sequiores, ut ædes suas rosas flosculisque in formam coronarum adaptatis haud modice aut parce exornarent. Refert quoque LEO Mutinensis, Rabbinus Venetus, quod pavimenta & plateas viridi herba tunc sternant, fenestras viridibus ramis passim obtendant, & virides corollas capitibus imponant, quod circa montem Sinai tempore Legislationis viruerint omnia (a). Quocirca notandum, quod frondosas betulas in innocuis his florealibus adhibuerint. Similiter Fenni nostris solemine est, tempore, quo festum Pentecostale incidit, betulas quinque prope villas constituere, quæ ita disponuntur, ut formam crucis referant, inter quas varios instituant Iudos. Dicuntur autem hæc Indier a nostratisbus Hippa / unde forte descendit Hippainen, quod urbanum & satetum denotat. Convenit vox Hippa cum Goth. Heppa sal-

tare. Non est, quod quis existimet, Fennos nostros ab aliis populis septemtrionalibus hoc ludi genus multo sumissi, quem notum sit, quod hi Majalia sua in primis celebrent festo nativitatis Johannis, quo betulas templis domibusque inferre nec non virginis corollas ex omni genere florum complicatas de perticis suspendere, jam pridem consueverunt. En igitur nova convenientia inter ritus Israëlitarum & nostrorum Fennorum.

(a) Vid. Opusc. de Carimon. & consuetudinibus hodiernis Iudaor. Part. III. Cap. 4. §. 3.

§. XVIII.

Denique eximia illa, quæ in nostra lingua observatur βραχυλογια, ad Laconiam proxime accedens, non levissimi momenti nobis videtur ad probandam Fennorum originem. Etenim qui linguam Fennicam probe callent, fibi satis superque perspectum habent, quam paucis verbis multa complecti queamus, quam vastus sensus singulis fere vocibus competit, & quanta sit illius vis in commovendis hominum animis. Eodem prorsus modo quicunque vel primoribus attigerunt linguam Hebraicam, aliasque orientis, hoc satis experintur, in illis, quam ulla alii breviores esse periodos & minoribus ambagibus circumductam eloquentiam reperiri. Et ejusmodi sermonis ratio haud obscurae prodit ingenium liberale atque servitutis impatiens.

Sed jam vela contrahimus, atque ex obscuro pelago cymbam nostram in portum subducimus. B. Lectorem prius rogantes, velit lapsus, si quos animadvertis mitiori perstringere censura, ne in ipsum forte quadret illud Fennorum: Mies wieras wian nate talon toisen tyttäresä, id est, hoffes eupam
observat in alterius ville Filia.

S. D. G.